



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 113. Sacrarum Congregationum Decisiones & decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. caussa Beatificationis V. Joannis Francisci Regis S. J. declaravit, constare de ejus virtutibus tam Theologicis quam cardinalibus in gradu heroico, in caussa vero V. Joannis de Prado Ord. S. Francisci constare de Martyrio & caussa Martyrii, necnon de uno miraculo tertii generis.

§. CXIII.

Sacrarum Congregationum Constitutiones & decisiones.

*Bull. Clem.
part. 2.
Const. p. 17.*

Auctoritate insuper Apostolica sacrae Romanæ Congregationes plura ediderunt decreta, & dubiorum decisiones, & quidem die decima quinta Martii ex Pontificis mandato prohibitum, ne a quibuscunque Sacerdotibus in feria sexta Parasceves occasione Annuntiationis B. V. in quavis Ecclesia vel Oratorio Sacrum solemne vel Missa privata celebretur, vel Ecclesia propterea ornatur, in feria quinta autem & Sabbato sancto non nisi Missa Conventualis, nulla vero privata celebretur. Ad dubia vero a Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Pisaurrensis proposita die secunda Julii S. Congregatio Rituum respondit, quod si in diem Sabbati concurrant festum Dedicationis Cathedralis cum officio S. Raymundi Nonnati

sub ritu duplici minori vel festum Pa- Sæc. XVIII.
 troni Urbis & Diæcesis cum Officio B. A. C. 1712.
 V. de Mercede, festa S. Raymundi &
 B. V. sub diebus assignatis fiant, etsi
 occurrat Dominica, proin non sint trans-
 ferenda in feriam proxime non impe-
 ditam. Eadem quoque Congregatio
 die prima Julii elogium S. Pii V. Papæ
 his verbis esse in Martyrologio denun-
 tiandum dixit: *Romæ S. Pii V. Papæ ex*
Ord. Præd. qui Ecclesiasticæ disciplinæ resti-
tuendæ, hæresibus extirpandis, & Chri-
stiani nominis hostibus conterendis strenue
ac feliciter incumbens, Vitæ & legum
sanctitate, Catholicam Ecclesiam governa-
vit. Pariter Pontifex die secunda Se-
ptembris ejusdem S. Congregationis
decreta confirmavit super cultu inmem-
orabili S. Liberati de Lauro Ordinis
FF. Minorum, & B. Gregorii Papæ de-
cimi. Die autem vigesima secunda Ju-
nii S. Inquisitionis Congregatio pro-
scripsit librum, cui titulus. Praxis Con-
fessariorum, seu explicatio propositionum
ab Innocentio XI. & Alexandro VII. dam-
natarum &c. Cum autem Episcopus
 Astensis quosdam Ecclesiasticos, ob re-
 cursum ad Senatum Taurinensem in
 controversia circa Beneficium exor-
 ta inter Talianum a Capitulo provi-
 sum, & Benedictum Burra a Pontifice
 nominatum, excommunicationis ma-
 joris

Sæc. XVII^r. oris pœnam incurrisse declararet, Se
 A. C. 1712. natus Taurinensis intentatis gravissimis
 pœnis Episcopo, ut edictum suum re-
 vocaret, præcepit: hic ergo minis illis
 territus, suam declarationem revoca-
 vit, & excommunicatos a suis vincu-
 lis solvit: Ast S. Immunitatis Congre-
 gatio die quinta Julii hanc absolutio-
 nem omnino irritam esse declaravit.
 Compererat insuper S. Congregatio In-
 dulgentiarum, quod in quodam libello
 Veronæ anno priori impresso plurimæ
 indulgentiæ veluti a Pontificibus con-
 cessæ gestantibus scapulare Conceptionis
 B. V. & cincturam S. Monicæ, falso
 contineantur, hinc die vigesima secun-
 da Februarii declaravit, nullas alias
 indulgentias aquiri a gestantibus hoc
 scapulare præter illas, quas Clemens
 XI. Anno 1710. die duodecima Maii
 concessit, nec a cincturatis alias, nisi
 quæ expresse continentur in Brevis
 Clementis X. quod incipit: *Ex injuncto*
nobis, Anno 1675. die vigesima septi-
 ma Martii edito.

§. CXIV.

*Padæ a Capitulo & Canonicis Hilde-
 sienfis inita per summum Pon-
 tificem damnata.*

Quam